Q. D. B. V.

VNIVERSITATIS LITTERARVM VRATISLAVIENSIS

NOVI RECTORIS

GEORGII HENRICI BERNSTEIN,

SS. THEOL. PHILOS. ET LITTERARVM HVMANIORVM DOCT. ET LITTERARVM ORIENTAL. PROF. P. O.

LEGITIME CREATI

SOLEMNEM INAVGVRATIONEM

D. XXIV. OCT. HORA XI.

IN AVLA LEOPOLDINA RITE CELEBRANDAM

INDICIT

IOSEPHVS IGNATIVS RITTER,

H. T. RECTOR.

PRAEMISSAE SVNT ANIMADVERSIONES IN PRIMAM S. IVSTINI M. APOLOGIAM.

VRATISLAVIAE

TYPIS VNIVERSITATIS

MDCCCXXXVI. 1836

ANIMADVERSIONES IN PRIMAM S. IVSTINI M. APOLOGIAM.

De inscriptione Apologiae.

Cum anno superiore academico primae S. Justini M. Apologiae interpretationem in seminario theologico Catholicorum, quod in Universitate nostra Viadrina floret, moderarer: plurima quae tum illius textum, ut in editionibus vulgatis legitur, tum versiones latinas annotationesque ab editoribus adiectas spectant, nos offenderunt. Quorum cum in primam quam textus habuit speciem, cauta manu emendationem tentaremus, id nobis non sine omni successu procedere videbatur. Quapropter, quum per hanc novi in annum academicum instantem Rectoris Magnifici inaugurandi solemnitatem opportuna occasio offeratur ex penu nostro litterario aliquid promendi, non haesitavimus nostras qualescunque observationes de illa Iustini Apologia tum factas in medium proferre. Sic enim fieri potest, ut vel apparatus patristicus partim augeatur, partim vitiis liberetur, vel imbecillitati nostrae ab eruditioribus succurri possit.

Libet autem primum ea, quae de Inscriptione Apologiae primae annotavimus proponere. Data ea est ad imperatorem Antoninum Pium (*Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ Καίσαρι*), Marcum Aurelium Philosophum (*καὶ Οὐηρισσίμῳ, υἱῷ φιλοσόφῳ* [1])), Lucium, filium defuncti Cae-

1) Si ex me quaeras, cur scriptor noster Marcum Aurelium *Οὐήρισσιμον* vocet — quod nomen pro suo veritatis studio ab Hadriano acceperat quodque post virilem togam rursus deposuerat resumto nomine M. Annio Vero — nihil aliud quod respondeam in promptu est, quam quod scriptor honorifico hoc titulo Marcum iam statim ab initio monere voluerit, ut defensionem pro Christianis oblatam accuratius examinet, nihilque in re Christiana praeter ipsam veritatem sectetur vel propter nominis Verissimi dignitatem. Cfr. Iulii Capitol. Vitam M. Antonini Philos. c. I.

saris Aelii Veri, et Antonini Pii adoptivum (*καὶ Λουκίῳ, φιλοσόφῳ, Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιήτῳ, ἐραστῇ παιδείας*) et ad Senatum populumque Romanum. Primum offendit epitheton *Καίσαρι* non suo loco, id est, post *Αὐτοκράτορι*, ut in plerisque inscriptionibus, quas Gruteri Corpus exhibet, sed in fine nominum et epithetorum positum. Haec autem forma scribendi, ut voce „Caesar" imperatoris tituli terminentur, nulla, nostro quidem iudicio, idonea ratione, sive ad eius significationem respicias, sive exempla veterum scriptorum et monumentorum consulas, defenditur. Itaque cum Eusebius Caesareensis, qui in historia ecclesiastica, lib. IV. c. 12, initium primae S. Iustini Apologiae descripsit, postremas huius tituli voces inverso ordine referat, *Καίσαρι* praeponens *Σεβαστῷ*, id certe facilius ferri possit. Sed ne haec quidem medela prorsus nobis satisfacit, nam quid sibi vult illud *Καίσαρι*, quod iam per centum annos vim cognominis obtinuerat, interpositum inter titulos mere honorarios et singulis imperatoribus pro suis de republica meritis tributos, v. g. hoc loco inter *Εὐσεβής* et *Σεβαστός?* Idem obstat, si de ea „Caesar" vocis significatione cogitemus qua dignitas secundarum in imperio partium et futuri successoris respiciatur.

Quare cum alia via ex his difficultatibus nos expediendi non exstare videatur, vocem *Καίσαρι* aut expunxerimus, aut post *Αὐτοκράτορι* transposuerimus. Nam illud quod primo loco posuimus, ut faciamus, monent epistolae et inscriptiones monumentorum imperatoribus ab aliis hominibus oblatorum dedicatorumque, in quibus fere nunquam vox Caesar occurrit, quemadmodum deest v. g. in allocutione Legationis Athenagorae pro Christianis, quae his solum titulis concepta est: *Αὐτοκράτορσι, Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ Ἀρμενιακοῖς Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον, Φιλοσόφοις;* nec hoc sine ratione, cum imperatoriâ simul comprehendatur Caesaris dignitas. Contra imperatores in monumentis et documentis, quorum ipsi auctores sunt, plerumque titulum Caesaris sibi adscribunt. Sed non est, cur hanc quasi vim inferamus inscriptioni nostrae; etenim iam Sylburgius in annotatione ad hunc locum suspicatus est, vocem *Καίσαρι* disiungendam esse a titulis Antonini Pii, et coniungendam cum Marco

Aurelio, sive ut a nostro scriptore vocatur *Οὐηρισσίμῳ.* Atque hanc textus emendationem multa suadent; primum quod iam observavimus, imperatores in aliorum allocutionibus Caesares non dictos fuisse, sed hunc Caesaris titulum, imprimis a tempore Hadriani [2] praerogativam sociorum in imperio inferiorum et successorum designatorum fuisse. Praeterea constat, Marcum Aurelium iam anno centesimo trigesimo nono ad dignitatem Caesaris et ad societatem imperii ab Antonino Pio evectum esse, ex quo summa et apud patrem suum imperatorem et in republica auctoritate pollebat. Nihilominus tamen in nostra Apologia simplici nomine *Οὐηρισσίμῳ* et *υἱῷ φιλοσόφῳ* designatur, quod tam singulare nonnullis visum est, ut coniicerent, hanc defensionem Christianorum iam ante finem anni 139 scriptam fuisse, quo tempore Marcus Aurelius nomine Caesaris nondum ornatus esset. At vero argumentis gravissimis infra ostendemus, horum sententiam non posse quidquam valere, sed eius scriptionem Apologiae ad annum fere centesimum quinquagesimum removendam esse. In eo autem cum illis consentimus, ut nostrum scriptorem tam negligentem esse non potuisse concedamus, ut rem, qualis illa Caesaris dignitas in Marco Aurelio erat, aut ignorare, aut memoriae lapsu omittere posset, praesertim cum in reliqua inscriptione quaedam industria et componendi ars eluceat. Quare censemus primitus scriptum fuisse *Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ, καὶ Καίσαρι Οὐηρισσίμῳ.* Inversio autem vocum *καὶ Καίσαρι* facile oriri poterat aut ex cacophonia, quam parit illa particula coniunctiva *καὶ* cum prima syllaba vocis *Καίσαρι,* inverso enim ordine his vocibus scriptis, minus illa sentitur; aut particula incuria librariorum primum excidit, id quod Marano, Gallandio et Braunio in eorum editionibus accidisse videmus in quibus illa desideratur, tum ab aliis sed non suo loco restituta est, cum usus linguae graecae copulam inter primum et secundum membrum desideret. Restituto autem secundum nostram sententiam inscriptionis textu et Antoninus Pius et Marcus Aurelius sua recuperarunt ornamenta prorsus convenientia, et ipsa inscriptio, quam non sine arte aliqua compositam diximus, suo numero gaudet.

2) Cfr. Aelii Spartiani Vitam Aelii Veri Caesaris cum notis Casauboni sub initio.

In Lucii quoque epithetis, filii Aelii Veris Caesaris, quem Hadrianus adoptaverat, exstat diversa scriptura. Omnes codices Apologiae nostrae habent *Λουκίῳ, φιλοσόφῳ, Καίσαρος φύσει υἱῷ*, Eusebius autem (H. E. Lib. IV. 12.) *φιλοσόφου Καίσαρος*, exceptis quatuor MSS., ita ut secundum scripturam vulgatam epitheton non sit referendum ad patrem Aelium Verum Caesarem, iam ante mortem Hadriani defunctum, sed ad eius filium Lucium, qui ab Antonino Pio adoptatus fuerat, et postea cum Marco Aurelio regnavit. Nos quidem censemus, neminem unquam de veritate scripturae *φιλοσόφῳ* dubitaturum fuisse, nisi opinio invaluisset, nostram Apologiam iam anno 138 scriptam esse, quo tempore noster Lucius nondum nonum aetatis suae annum excesserat. Sed ponamus scriptam esse circa annum 148 — quod infra demonstrabimus — quo tempore Lucius annum duodevigesimum ageret, scriptor noster suas partes certe male egisset laudans in patre ante decem annos defuncto, quod revera magis in filio superstite laudandum erat.

Denique editionum varietas quaedam exstat ad litteras initales et signa distinctionis pertinens. Omnes enim editores etsi in reliquis introductam consuetudinem observant et nomina propria et epitheta litteris initialibus maioris formae scribendi, tamen in epitheto *Εὐσεβεῖ* variant. Quod cur faciant non intelligo, cum haec vox hoc loco aeque titulus honorarius sit atque reliquae. Eadem varietas in distinctionis signis nostrae inscriptionis reperitur, ubi Grabius singula membra signo quod colon dicitur separat, reliqui rectius commate; rursus alii *Οὐηρίσσιμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ* et *Λουκίῳ φιλόσοφῳ Καίσαρος φύσει υἱῷ* uno tenore scribunt; male quidem.

De anno, quo scripta sit Apologia prima.

De anno, quo Apologia nostra scripta et Principibus Romanis oblata sit, duae potissimum sententiae circumferuntur, quarum altera, quae Ios. Scaligeri [3],

3) Animadversion. ad Eusebii Chronicon p. 219.

Dionys. Petavii [4], Dodwelli [5], Pagii [6], Abbatis Longuerue [7], Gallandii [8] et Lumperi [9] est, annum centesimum trigesimum octavum vel nonum designat, altera vero, cui Maranus [10] et Tillemontius [11] addicti sunt, centesimum quadragesimum octavum sive nonum. Et illorum quidem graviora argumenta haec sunt: Primum Marcum Aurelium non nuncupari in ea Caesarem dicunt, quam eum dignitatem anno trigesimo nono adeptum esse constet; ergo aut anno superiori, id est octavo, aut ineunte nono super trigesimum et centesimum scriptam esse oportere. Deinde S. Iustinum de bello Iudaico Barchochba duce excitato, tanquam de re praesenti verba facere, v. g. cap. XXXI. *ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ*, illud autem bellum iam anno 135. confectum esse. Denique imprimis confirmari hanc sententiam Antonini Pii edicto pro Christianis hac ipsa Iustini Apologia, testibus Orosio (Hist. lib. VII. c. 14) et Zonara (Annal. lib. XII. c. 1.) impetrato, ad cuius illud calcem exhibetur.

Quibus quidem argumentis Maranus et Tillemontius hoc opponunt, quod Caesaris nomen a Iustino vel imprudenter omissum sit vel librariorum culpa exciderit. Nos autem, etsi accedimus, quod annum scriptionis attinet, horum virorum sententiae, tamen rationes, quibus usi sunt ad contrariae sententiae primum argumentum diluendum, probare omnino non possumus. Quis enim cogitet Iustinum, scriptorem alioquin in titulis proponendis solertissimum, statim ab initio et in persona Marci tam supine egisse, ut sapientissimo Principi, cuius iustitiam pro afflictis fratribus imploraturus erat, proprium dignitatis nomen tribuere

4) Ad Epiphanii Haeres. XLVI. p. 82.

5) Additam. ad Pearson. Opp. posth. p. 243.

6) Critica Baron. ad ann. 148. § IV. seq. et Dissert. Hypat. Part. II. cap. III. § IX.

7) Longuerue Dissertationes de variis Epochis et anni forma Orientalium, de vita S. Iustini M. etc. p. 220, 242, 243, 278.

8) Bibliotheca vett. Patrum T. I. p. LXXXI. ssq.

9) Historia Theologico-Critica P. II. p. 61.

10) In Praefat. Parte III. c. v. Opp. S. Iustini.

11) Memoires pour servir à l'histoire eccl. T. II. p. 650. Notes sur S. Iustin.

obliviceretur? Altera autem coniectura, ex qua nomen Caesaris librariorum incuria exciderit, ne minimum quidem veritatis vestigium habet, propterea quod cogitari nequit, vocem in nominibus principum illo tempore vulgatissimam ab omnibus librariis neglectam fuisse; quae si ab uno alterove interpolata sit, non miremur. Sed ponamus eam excidisse, et in inscriptione eam restituamus, ita tamen ut eadem in primo quoque membro secundum Maranum legatur, quo facto scriptura haec erit: *Σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Καίσαρι Οὐηρισσίμῳ.* Ita vero triplex illud *καὶ* ne a barbaris quidem auribus ferri potest, ut taceamus de altero vitio, quod cernitur in positione, cum, quod prioris membri nominibus subiungitur, idem vocabulum praemittitur in altero. Ergo aut nostra coniectura, quam Sylburgius iam indigitavit, qua quidem vox *Καίσαρι* ex primo membro in secundum transferatur (quo facto argumentum hoc pro anno 138 aut 139 sua vi privatum est) necesse est, locum habeat, aut Maranus et Tillemontius non poterunt non concedere, suam de anno scriptionis sententiam irritam esse.

Alterum quod attinet adversariorum argumentum, pro anno 138 aut 139. repetitum ex bello Iudaico, de quo Iustinus sic loqui videatur, ac si nuperrime gestum sit — *ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ* — non sane omni illud veritatis specie destitutum est. Etenim cum bellum illud iam Hadriano imperatore, anno 135, finitum fuerit, nemo contendet post duodecim annos communi loquendi usu ita illud commemorari posse, ut *nunc* gestum esse dicatur. Maranus quidem exempla ex ipso Iustino profert, quibus ostendat, particulam *νῦν* non solum ad res praesenti tempore gestas, sed ad remotiores quoque designandas adhiberi simulque *nuper* et *dudum* significare. Sed veremur ne haec ratio interpretandi laxior sit, imprimis ad graecam linguam accommodata, quae copia particulorum cuiuscunque generis abundat. Mihi haec res ita potius expedienda esse videtur. Quamvis particula *νῦν* tantum praesens tempus designet, tamen, cum res praeteritae tanquam praesentes narrari possint, id quod inprimis tum fit, cum res nobis viventibus, aut quibus interfuimus ipsi, gestae, cum longe remotioribus aut verbis expressis aut in animo comparantur vel iis opponuntur, omnino *νῦν* particula commode ad res praeteriti temporis designandas uti possu-

mus et utimur in quovis linguarum genere. Id quidem Iustino nostro in loco accidit. Tempore enim Iustini duo bella iudaica in memoria erant, alterum Vespasiano imperatore gestum, alterum sexaginta annis post, Hadriano imperatore, quod quidem ipse Iustinus viderat. Quare apte de hoc sui temporis bello, siquidem ad alterum illud respiceret, scribere poterat: in bello, quod nunc, id est nostro tempore gestum est, licet iam duodecim anni effluxissent. Simili ratione de Antinoo inter deos ab Hadriano imperatore relato ait Iustinus cap. XXIX: *Οὐκ ἄτοπον δὲ ἐπιμνησθῆναι ἐν τούτοις ἡγησάμεθα καὶ Ἀντινόου τοῦ νῦν γεγενημένου, ὃν καὶ πάντες ὡς θεὸν διὰ φόβου σέβειν ὥρμηντο, ἐπιστάμενοι τίς τε ἦν καὶ πόθεν ὑπῆρχεν.* Haec ita interpretatus est Maranus: „Mihi haud absurdum videtur hoc loco mentionem iniicere illius, qui *nuper* exstitit etc.;“ male, scribendum enim erat, qui nunc, aut nostro tempore exstitit, nam vita Antinoi, in mente scriptoris, qui illius aequalis erat, comparatur cum illis paganorum diis, qui longe ante inter deos relati fuerant. Eadem significatio *νῦν* particulae inest iis locis S. Iustini aliorumque scriptorum secundi et tertii saeculi, quibus refertur, religionem Christianam *νῦν* exortam esse. Comparatur enim eius originis epocha cum originis tempore antiquissimarum religionum Indaeorum et Gentilium. Quare quamquam Maranus causam cur *νῦν* de rebus praeteritis usurpetur, non perspexit, nihilo tamen magis, ut vidimus, ex iis locis, in quibus illa occurrit, demonstrari potest, Apologiam nostram ante annum centesimum et quadragesimum scriptam fuisse.

Denique de tertio argumento pro anno 138 aut 139 allato vix est quod dicamus; nam illa epistola ad Commune Asiae inscripta, et ad calcem primae Apologiae addita, neque in notis chronologicis sibi constat, neque omnino adhuc definitum est, sitne opus Antonini Pii, an Marci Aurelii imperatoris.

Argumenta autem, quibus Maranus et Tillemontius ostendunt, nostram Apologiam demum circa annum centesimum et quinquagesimum scriptam esse, haec sunt: Primum Iustinus refert cap. 46: Annos esse centum et quinquaginta a nativitate Christi. At refragantur adversarii, Iustinum aliis in locis non peritissimum in rebus chronologicis se exhibere, itaque etiam in anno nativitatis I. Chr.

errare potuisse. Sed iidem non observarunt, Iustinum nostro loco non ex sua sed e populi gentilis persona loqui, et annos a Christo nato computare; rursus autem gentiles hanc rem non ex sua investigatione, sed ex traditione Christianorum perspectam haberent necesse erat. Quamvis igitur fateamur, Christianos iam illo tempore non satis accurate annum nativitatis Christi tenuisse, nihilo tamen minus adversariis concedere non possumus, eos, centum fere annos post eius mortem gloriosamque resurrectionem atque post conditam eius ecclesiam, iam duodecim annorum spatio hac in re a vero aberrasse.

Alterum pro seriore scriptione argumentum nititur in historia Marcionis. Huius enim Gnostici Iustinus ita mentionem facit, ac si ille iam diu placita sua praedicarit multosque sibi asseclas adiunxerit v. g. c. 26: *Μαρκίωνα δέ τινα Ποντικὸν, ὃς καὶ νῦν ἔτι ἐστὶ διδάσκων τοὺς πειθομένους, ἄλλον τινὰ νομίζειν μείζονα τοῦ δημιουργοῦ θεόν· ὃς κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων, διὰ τῆς τῶν δαιμόνων συλλήψεως, πολλοὺς πεποίηκε βλασφημίας λέγειν κτλ.* *Invaluit* autem, ut verbis S. Irenaei lib. III. c. 4. utar, *Marcion* demum *sub Aniceto*, Pontifice Romano, qui anno ferme quinquagesimo saeculi secundi episcopatum adeptus est. Observat quidem Pagius in Critica Baronii ad annum 144. n. III., Marcionem iam postremis Hadriani temporibus errores suos in Asia sparsisse, et condita iam schola Romam demum pervenisse, eamque ob rem illius Iustinum commode potuisse anno 139. mentionem facere. Sed animadvertendum est, Marcionis sectam loco citato non tanquam recens ortam commemorari, sed iam multum adultam et corroboratam.

Animadversiones in textum et in versiones latinas.

In cap. IV. legitur: *Καὶ γὰρ τοὺς κατηγορουμένους ἐφ᾽ ὑμῶν πάντας πρὶν ἐλεγχθῆναι οὐ τιμωρεῖτε· ἐφ ἡμῶν δὲ τὸ ὄνομα ὡς ἔλεγχον λαμβάνετε.* Vertit Maranus: „Nam quicunque coram vobis accusantur, eos poena non afficitis, antequam convincantur. In nobis autem nomen argumenti loco sumitis.“ Non accurate primum membrum. Nam cum Christiani quoque coram imperatoribus

sive iudicibus ab his constitutis accusarentur, nulla secundum hanc versionem sententiae vis contrarii inest, quae tamen ex verbis secundi membri *ἐφ' ἡμῶν δὲ* apparet.

Scriptoris autem mens haec est: quicunque vestrum, id est, gentilium, accusantur. Quare Grabii versio praeferenda est: „Ac nullum quidem vestrum, ubi accusatus fuerit: priusquam convincatur poena afficitis." Distinctius sed non presse adverba Sylburgius: „Ac vos quidem ex eis, qui sacra vestra colunt, accusatos omnes, non prius poena afficitis, quam rei peraguntur."

Cap. V. sub initio: *Οὐ Κρίσεις ἐξετάζετε.* Grabius *Κρίσει* legendum esse censet, sed nihil mutandum. Vertunt Sylburgius et Thirlbius: „Non legitimo examine iudicia exercetis." Haec interpretatio potius qnam iusta versio. Maranus: „Non iudicia examinatis." Male; nam iudicia examinare longe aliud quiddam significare mihi videtur, ac dicere scriptor voluit. *Κρίσις* hoc loco, ut apud Lycurgum 2, 2. causam, accusationem significat, *Κρίσεις ἐξετάζειν* idem quod latini dicunt: iudicia accurate exercere, agere.

Eodem Capite post *Εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς* Braunius ponit signum distinctivum minimum sive comma, sed cum Grabio colon ponendum est, quia *εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς* non pars primi membri est, sed sententia absoluta, quae causarum thesis praecedentis expositioni praemissa est.

Cap. X. sub initio: *Καὶ πάντα τὴν αρχὴν ἀγαθὸν ὄντα δημιουργῆσαι αὐτὸν ἐξ ἀμόρφου ὕλης δι' ἀνθρώπους δεδιδάγμεθα.* Ad hunc locum observat Maranus: „Haec verba Halloxius, vita S. Iustini p. 329, e S. Martyris contextu recidit, ut plane subdita et materiae aeternitatem, praeter Iustini sententiam, affingentia. Aliter emendavit Langus; vertit enim: *ex nihilo et non ex informi materia.* Sed nihil corruptum aut interpolatum, nihil quod Iustinum in erroris suspicionem possit abducere, ut in Praefatione ostendimus." Novissimus autem editor Apologiarum S. Iustini, Ios. Braunius (Bonnae ad Rhenum 1830), in notis p. 57. contendit, Maranum cum reliquis interpretibus hanc locum sic vertentibus, *et cum bonus sit, omnia illum ab initio ex informi materia propter homines condidisse accepimus* (ita enim Maranus); aut *Illum porro cum bonus sit,*

omnia in principio ex informi materia hominum causa, condidisse, edocti sumus. (Thirlbii verba), male intellexisse, τὴν ἀρχὴν enim non significare *ab initio* aut *a principio* sed *omnino*, *schlechthin*, quae significatio tum plurimis aliis S. Iustini locis tum optimorum scriptorum exemplis firmari possit. Haec Braunius. Non infitiamur, plurimos occurrere locos, in quibus τὴν ἀρχὴν *omnino*, *plane*, *prorsus*, id quod neque alios interpretes fugit, significet, sed eos si accuratius inspexeris, intelliges negativas continere sententias; ut autem demus τὴν ἀρχὴν in affirmativis quoque sententiis, de quo tamen magnopere dubitamus, *omnino*, *prorsus*, significare, propterea, ut quisque intelligit, non sequitur, itidem capite X, sic rem se habere; praesertim cum in eadem fere sententia capitis LIX. sine dubio τὴν ἀρχὴν primitivam significationem *a principio*, sive *primitus* teneat. Verba huius capitis haec sunt: *δι' οὗ μηνύον τὸ προφητικὸν πνεῦμα, πῶς τὴν ἀρχὴν καὶ ἐκ τίνων ἐδημιούργησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ἔφη οὕτως· ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.* Numne hoc quoque loco τὴν ἀρχὴν *omnino* significare quisquam contendet? Decimo autem capite, in quo τὴν ἀρχὴν ter occurrit, haec particula tum *omnino* tum *a principio* vertatur oportet, aut eam semel certe abundare concedes.

Non dubito equidem, quin doctissimus Braunius ad novam suam huius loci nodum solvendi interpretationem eo sit permotus, quod defensio, quam Maranus de materia de mundi creatione pro S. Martyre scripsit, omnino sibi non satisfaceret; sed non est quod sanctissimum Patrem hac ratione, qua vulgatae omnium interpretum versioni vim inferamus, ab haeretico praeexistentis materiae dogmate liberemus. Hoc enim prae ceteris tenendum est, nostram apologiam non esse symbolum fidei, sed temporibus accommodatam defensionem Christianorum, ne hi ob crimina sibi afficta, aut ob doctrinas, quae gentilibus ridiculae et absurdae viderentur, quovis modo exagitarentur. In numero autem irrisorum a Gentilibus Christianae religionis dogmatum erant creatio mundi ab uno deo et ex nihilo profecta, mysterium SS. Trinitatis, novissimum iudicium etc. In rebus autem quarum intelligentia humanam excedit rationem, demonstrationem mathematicam locum habere non posse quisque intelligit, quare noster scriptor defensionem suam

veritatis Christianae sapienter temperavit, eo quod non statim ad iustam dogmatum Christianorum expositionem et argumentationem se accinxit, sed in eo potius elaboravit imprimis apud imperatores, ut hos praeiudicata opinione liberaret, quasi dogmata Christiana res essent absurdae et inauditae. Quod qua alia ratione efficere potuerit, quam hac, qua ostendit philosophos et poetas Graecorum fere eadem docuisse eademque a gentilibus credita esse, non perspicimus. Itaque nostro loco, ubi in mundi creatione versatur, Iustinus Platonicum agit, nihil curans, utrumne initio materia a deo creata sit, an deus ex materia iam primitus exstante, secundum Platonem, mundum hunc condiderit. Plane intelligebat, rem nimis arduam esse gentilibus demonstrare, materiam a deo ex nihilo creatam esse. Denique in ipsa Mosaica mundi conditi historia duo concurrunt momenta, alterum creationis rerum in universum sive materiae, alterum dispositionis in eum ordinem, quem nunc tenet. Ait enim: In principio creavit Deus coelum et terram, et tum: „terra autem erat inanis et vacua."

Cap. XIII. sub medio: *Οὐ γὰρ διὰ τοὺς ὑφ' ἡμῶν κειμένους νόμους καὶ κολάσεις πειρῶνται λανθάνειν ἀδικοῦντες.* Ad hunc locum observat Braunius: Hic est ille locus, ubi prava decepti interpunctione nodum in scirpo quaesierunt interpretes. Tu quod positum cernis post *αδικοῦντες*, tolle colon et scribe interrogandi signum, ut sanam habeas Iustini sententiam hancce: *Nonne ob leges ac poenas a vobis constitutas latere student ii, qui iniuste agunt? Homines autem etc.* At magnopere veremur, ne haec mutatio signorum significationi *οὐ γὰρ* vim inferat, quae in serie orationis, qualis nostra est, interrogationi haud inservire possit.

Cap. XIII. sub initio: *λόγῳ εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν, ὅση δύναμις αἰνοῦντες* —. Verba *ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν* vertit Grabius: „in oblationibus, quas offerimus, omnibus", et Maranus: „in his omnibus, quae offerimus". Thirlbius vero: „pro omnibus quibus alimur." Et hic nostro iudicio solus sensum scriptoris assequutus est, nam statim subiungitur: *μόνην ἀξίαν αὐτοῦ τιμὴν ταύτην παραλαβόντες τὸ τὰ ὑπ' ἐκείνου εἰς διατροφὴν γενόμενα οὐ πυρὶ δαπανᾶν, ἀλλ' ἑαυτοῖς καὶ τοῖς δεομένοις προσφέρειν,*

ἐκείνῳ δὲ εὐχαρίστους ὄντας διὰ λόγου πομπὰς καὶ ὕμνους πέμπειν —
Praeterea offerre non *προσφέρεσθαι* sed *προσφέρειν* apud scriptores ecclesiasticos significat.

Cap. XIV. sub initio legitur in vulgatis editionibus *ἐντυχεῖν καὶ συνεῖναι.* Ad postremam vocem observat Braunius in notis: „Et hic et infra p. 49. l. 20. legendum esse *συνιέναι* ante Maranum iam viderat Davis. Nihil frequentius, quam horum vocabulorum in codicibus confusio.“ Cur autem forma Aoristi II. verbi *συνίημι* mutanda sit cum praesenti tempore, non intelligimus, imprimis praecedente Aoristo *συντυχεῖν.*

Cap. XV. l. 23. ed. Braunianae: *ὥσπερ καὶ οἱ νόμῳ ἀνθρωπίνῳ διγαμίας ποιούμενοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ τῷ ἡμετέρῳ διδασκάλῳ εἰσὶ, καὶ οἱ προσβλέποντες γυναικὶ πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς.* Observat ad hunc locum Braunius: „Nomine *διγαμίας* non vituperari a Iustino *τοὺς δευτέρους γάμους* (Theologi bigamiam vocant successivam), sed improbari potius coniugia ea, quae ineuntur non soluto prioris coniugii vinculo, opinatur Maranus, quam sententiam transscribendo probavit Patavinus editor, idque inde colligi posse, quod in iis, qui a Iustino e sacris litteris afferuntur, locis nullus sit sermo de secundis nuptiis. Quae quidem argumentatio aliquam habere probabilitatis speciem videatur, si nescias, uti Iustinum, ita plerosque ecclesiae Patres iisdem Christi verbis nisos secundum improbare matrimonium solitos esse. Ceteros ut taceam unum nomino Athenagoram, qui simili fere orationis contextu, eademque usus ratiocinatione secundas nuptias *εὐπρεπῆ μοιχείαν* vocat. Legat. pro Christianis cap. 33.“ Haec Braunius. Non negamus S. Iustinum improbasse secunda matrimonia successiva, quae mortua altera parte ineuntur, quemadmodum plerique veteres ecclesiae patres fecere; verum ex eo non sequitur, scriptorem hoc loco illa prae oculis habuisse, et *nomine peccati* notasse, nam improbare aliquid et pro peccato habere, plurimum inter se differunt. Neque admitti potest, ut placita Tatiani, discipuli nostri Apolegetae, qui omnino secundum matrimonium vocat honestum adulterium, sine argumentis magistro eius adscribantur. Notum est, Patres voce *διγαμία* triplici significatione uti, et primum quidem cum quis binas habeat uxo-

res, deinde, cum quis, matrimonio prioris coniugis morte soluto, ad secundas nuptias transierit, denique tertio loco si quis uxore secundum leges dimissa aliam duxerit. Tantum de tertio matrimonii genere hoc loco Iustinum agere ex eo patet, quod in praecedenti oratione ex verbis Christi ad moechiam spectantia duo notaverat, atque edixerat, primum si quis adspexisset mulierem ad concupiscendam eam, iam eum moechatum esse in corde suo, et si quis dimissam ab alio uxorem duxisset, eum item adulterium commisisse. Duo haecce genera repetit hoc addens, secundam doctrinam Christianam alterum quoque hoc adulterium esse, quamvis leges humanae soluto inter vivos matrimonio ad aliud procedere permittant.

Cap. XXXIX. p. 30. ed. Braun. lin. 16. vitium typographicum irrepsit. nam pro *ἡμῖν* cum reliquis editionibus legendum est *ὑμῖν*.

Cap. LIX. *Ἵνα δὲ καὶ παρὰ τῶν ἡμετέρων διδασκάλων· λέγομεν δὲ τοῦ λόγου τοῦ διὰ τῶν προφητῶν· λαβόντα τὸν Πλάτωνα μάθητε τὸ κτλ.* Non placet mutatio signorum iuterpositionis sive parenthesis post *διδασκάλων* et *προφητῶν* in duorum punctorum colon.

Cap. IX. pag. 6. lin. IV. seqq. edit. Braunianae [12] locus exstat, qui in plerisque editionibus et in ea quoque, quam Braunius curavit, ita legitur: *τί γὰρ δεῖ εἰδόσιν ὑμῖν λέγειν, ἃ τὴν ὕλην οἱ τεχνῖται διατιθέασι, ξέοντες, καὶ τέμοντες, καὶ χωνεύοντες καὶ τύπτοντες, καὶ ἐξ ἀτίμων πολλάκις σκευῶν διὰ τέχνης τὸ σχῆμα μόνον διαλλάξαντες καὶ μορφοποιήσαντες, θεοὺς ἐπονομάζουσιν;* quam lectionem secutus ita vertit Langius: „Quid enim opus est apud vos, qui scitis, commemorare, quomodo artifices materiam tractent, polientes eam et incidentes, et conflantes et tundentes, et ex inhonestis saepenumero vasis, figuram tantum arte sua mutantes et conformantes atque exinde deum cognominantes." Eandemque versionem Sylburgio, Grabio, Thirlbio probatam fuisse, inde adparet, quod eam retinere non dubitarunt. Attamen haec interpretatio varias ab causas vituperanda est. Primum enim nemo perspicere potest, quorsum spectent verba: „et ex inhonestis

12) Haec animadversio est F. Kranzii, sodalis seminarii theolog. Catholic. Vratisl.

saepenumero vasis", tum accusativo pronominis relativi ἃ significatio tribuitur, quam apud nullum scriptorem habere constat, denique verbum ἐπονομάζουσιν participio expressum est in versione, quasi legeretur ἐπονομάζοντες. Quod posterius hoc vitium attinet, id ex eo natum est, quod interpretes universam enunciationem, quam modo proposuimus, aptissime cohaerere unamque efficere interrogationem arbitrati sunt. Ac profecto, quicunque verba καὶ ἐξ ἀτίμων etc. ad interrogationem refert, in explicando indicativo verbi ἐπονομάζουσιν haesitabit. Omnis vero difficultas illa tollitur, si modo propositam enunciationem dispertiamur et interrogationis signo post verbum τύπτοντες posito, alteram sententiam non interrogationem sed exclamationem esse statuamus. Neque hoc Maranus Benedictinus non vidit, cuius in editione ita legitur. τί γὰρ δεῖ .... καὶ τύπτοντες; καὶ ἐξ ἀτίμων .... ἐπονομαζουσιν. Atque hanc lectionem secutus ita vertit: „Quid enim adtinet vobis, qui probe scitis, exponere, quonam artifices modo materiem tractent, scalpendo, caedendo, fundendo, et tundendo? Quin etiam saepe ex vasibus inhonestis, cum speciem tantum arte mutaverint, ac effigiem induxerint, cognominant deos." Multo sane clarior haec versio est quam Langiana illa, magisque ad verba Graeca adcomodata et imprimis eam ob causam laudanda, quod veram posterioris sententiae vim et praesertim particulae καὶ intensivam significationem reddit. Nihilque habeo quod in ea reprehendam, nisi quod accusativus pronominis relativi ἃ non satis accurate explicatus est. Itaque ad locum illum illustrandum pauca adferenda videntur, quamquam ea non longe repetita sed notissima sunt. Nam inter omnes constat, nunquam accusativo pronominis relativi exprimi modum vel rationem, qua res aliqua conficiatur, sed dativo ᾗ. Non minus autem nota res est, multa verba cum duplice accusativo cumiungi, altero obiecti, altero vero praedicati. Huc imprimis referendum est verbum ποιεῖν, quod duplici accusativo iunctum significat i. q. efficio ut res quaedam alia fiat. v. c. ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς Mtth. 4, 19. ἐποίησε τὸ ὕδωρ οἶνον. Io. 2, 16 etc. Sed dividendi quoque verba saepissima ita usurpantur, ut Herodot. VII, 121. τρεῖς μοίρας ὁ Ξέρξης δασάμενος πάντα τὸν πεζὸν στρατόν etc. Qua de re omnino conferenda est Matthiaei. Grammatica Graeca.

Quodsi vero hanc dicendi rationem nostro quoque loco sequimur, ita vertendum nobis erit: „Quid enim opus est vobis, qui scitis, referre, quasnam ad res artifices materiam praeparent, laevigando et asciando et conflando et tundendo? Quin etiam ex inhonestis saepe vasibus, specie tantum artificiose mutata et conformata, deos cognominant."

De contextu Apologiae I[mae] a capite XXIII. usque ad caput XXX.

In nostra Apologia ab exordio usque ad caput XXIII, omnia continua serie procedunt, ab hoc autem capite usque ad caput XXX. res tractantur, quae nec prorsus inter se, neque cum antecedentibus et consequentibus apte cohaerent, ita ut, nisi capite LVI. Simonis Magi mentio fieret, et ad eius historiam, quae capite XXVI. narratur, respiceretur his verbis *καὶ γὰρ παρ' ὑμῖν, ὡς προέφημεν, ἐν τῇ βασιλίδι 'Ρώμῃ ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος γενόμενος ὁ Σίμων,* septem illa capita integra, salvo sententiarum ordine, eiici possent. Quibus ut fidem faciamus, argumenta primorum viginti duorum capitum proponenda sunt: Precibus ad Imperatores praemissis, ut pii, philosophi, iustitiaeque custodes et disciplinae studiosi, missis praeconceptis opinionibus, veritatem audiant, primum rogat, ne Christiani ob solum nomen et pravos rumores de eorum criminibus sparsos male tractentur, sed ut et de vita et de doctrina Christianorum ex legibus iudicium fiat. Quo facto rationes gentilium, cur eos persequantur, persequitur singulasque refutat. Primum vel hoc iniquum esse, quod Christiani nominis causa in iudicium vocentur, cum ex nomine neque laus cuiquam, neque poena debeatur. Fateri se quidem, quosdam invenire posse, qui Christiano nomine, sicut plures ex philosophis, abusi, scelerum variorum sint rei, sed eos disquisitione facta non propter nomen sed propter admissum crimen plectendos esse; quin imo extitisse quosdam philosophos, qui etiamsi deos gentilium irrisissent, tamen ab imperatoribus non poenis, sed praemiis et honoribus affecti essent. Quae ratio in Christianos animadvertendi, cum plane insolita sit, materiam ei praebet, quaestionem de causis tantae perversitatis instituendi, easque nulla in alia re sitas esse demonstrat, nisi

in instigatione pravorum daemonum, quorum artificiis iam Socratem morti traditum fuisse ait, eosque nunc de honore suo divino sollicitos idem in Christianos qui, abnegata ipsorum divinitate, Iesum Christum profiteantur, machinari. Hinc factum esse contendit, ut Christiani ἄθεοι vocentur; se omnino non infitiari, Christianos, si quis ab falsorum illorum deorum religione proficiscatur, ἀθέους esse; sed ἀθέους non esse, si censeantur ex Verissimi Dei cultu, patris iustitiae, sapientiae aliarumque virtutum; hunc se venerari et filium, qui venerit et illos docuerit, spiritumque propheticum. Id tamen observandum esse, quemadmodum diversarum disciplinarum philosophicarum studiosi omnes uno nomine philosophi vocentur, ita Christianos quoque licere, non eadem dogmata profitentes, eodem nomine designari, eoque magis necesse esse, ut in singulorum vitam, si qui delati fuerint, diligenter inquiratur. I-VI. A capite VI-IX demonstrat, veros Christianos ex eo dignoscendos, quod nunquam fidem suam negent, cum mendaciter nolint vivere; eos vitam aeternam et retributionem post mortem exspectare atque corporum aliquando cum animabus unionem. Quae si incredibilia videantur, reputent Imperatores, Platonem quoque docuisse, Rhadamantum et Minoëm iniustos ad eos venientes castigaturos esse.

A capite IX-XI discrimen ostendit inter cultum divinum Christianorum et paganorum intercedens; Christianos enim non victimis nec florum coronis deum colere, quia statuas hominum manibus efformatas pro diis habere nequeant, verus autem deus, qui omnia nobis largiatur, hominum donis non indigeat; illos solos ei acceptos esse, qui castitate et iustitia conspicui sint; verum cultum divinum in virtutum studio positum esse, et ut omnes hoc discant, plurimum interesse. — Denique a capite XI-XIV crimen laesae maiestatis a Christianis propellit ostenditque optimos eos esse cives, cum non regnum humanum, sed aeternum omni virtutum studio affectent et plurimum ad iustitiam tuendam pacemque conservandam conferant. His expositis ipse scriptor profitetur, se causam peregisse suam et libello suo finem imponere posse; sed considerans, difficillimum esse animos ab inveteratis erroribus liberare, luculentiorem doctrinae Christianae expositionem adiungere non alienum esse putat. Versatur haec circa personam Christi

et morum doctrinam Evangelii verbis confirmatam, et circa spem Christianorum in aeterna post mortem vita positam.

In dubium omnino vocari non posse, dogmata quaedam huic doctrinae inesse imprimis de Persona Christi, quae incredibilia videantur; sed cum constet, poetas et philosophos Graecorum de filiis Iovis similia retulisse, quae a gentilibus credantur, nec Christiana dogmata posse ridicula et absona esse. Quodsi qui Christum pro vero deo habere nolint, tamen eum propter sapientiam, qui dei filius vocetur, dignum esse. Qua expositione finita secunda pars Apologiae absoluta est.

Restat ut scriptor, si ultra progressurus sit, demonstret, quae Christiani profiteantur non solum verisimilia et aeque vera ac fabulas Graecorum, sed omnino reapse vera esse, et testimoniis confirmari, quorum fides in dubium vocari non possit. Et hoc quidem praestitit a capite XXX-LXV; sed quae a capite XXIII -XXX tractantur, plane nobis abundare videntur. Primum iam habes duplex argumentum rerum tractandarum initio capitis XXIII et trigesimi; deinde initio cap. XXIII prophetarum, qui Christum praecessere, mentionem facit perinde ac si alias de eorum Vaticiniis iam loquutus fuerit, licet ne verbo quidem rem antea tetigerit; tum capite XXIII. plura promittuntur, quae scriptor revera non praestitit, quemadmodum v. g. nusquam reperire possum accuratam demonstrationem, qua Iesum Christum solum proprie filium deo genitum esse efficiatur; porro series singulorum huius capitis membrorum perobscura est, quare iam Grabius exclamat: „Utinam Langus vel quispiam alius connexionem membrorum longissimae huius et tamen mutilatae periodi inter se, et quomodo cum sequentibus, quae per numeros, *πρῶτον*, *δεύτερον*, *τρίτον* distincte prosequitur Iustinus, ea tota cohaereat, debite ostendisset.“ Denique a capite XXIV — usque ad XXX. longe alias res tractat, quam quae cap. XXIII. promittuntur, ut argumentum potius continere videantur, quo evincatur non iure reliquis omnibus hominibus inferiores haberi, cum et doctrina et vita reliquis omnibus superiores sint. Itaque fortasse sic series membrorum restitui possit: Primum eiice primam partem capitis XXIII usque ad verba *καὶ Ἰησοῦς χριστός;* hac enim ratione doctrina de persona Iesu Christi, quae cap. XXI incipit, continuatur et absolvitur; tum

transpone eiectam partem capitis XXIII. ad finem capitis XXX, ita ut rerum argumenti tractandarum partem secundam efficiat, hoc est scriptorem cogita se demonstraturum polliceri, doctrinam Christianam non tantum veram esse, sed solam esse veram (μόνα ἀληθῆ). Et quae cap. XXIV. et seqq. dicuntur, non male quadrant in extremam partem cap. XXIII.

Sed videant alii, qui acutiori gaudeant ingenio, quid de hac textus dispositione sentiendum sit. Equidem nunc ad id me convertam, quod mihi haec scribendi et in medium proferendi occasionem dedit.

Gratia adiuvante divina et consiliis sapientissimis tum collegarum mihi coniunctissimorum tum virorum reliquorum, quibus simul curae academicae iniunctae sunt, quibusque omnibus gratias pro eorum in me amicitia quas possum maximas persolvo, feliciter munere rectoratus mei annuo peracto, hoc restat, ut solemnia pro novo in futurum annum academicum Rectore Magnifico renuntiando indicem. Electus est suffragiis collegarum suorum et comprobatus est a summo magistratu, quo Rex noster Potentissimus in rebus academicis utitur

Georgius Henricus Bernstein,

SS. Theol. Philos. et Litterarum Humaniorum Doctor et Linguarum Orientalium Prof. P. O.

Inaugurabitur autem novus Rector Magnificus ex statutorum nostrorum praescripto

D. XXIV. Oct. Hor. XI.

in aula Leopoldina, ubi iureiurando solito praestito simul cum novis Decanis spectabilibus et Senatoribus gravissimis publice a me renunciabitur et fascibus academicis cum ceteris dignitatis insignibus susceptis oratione habenda munus suum auspicabitur.

Huic a me indictae solemnitati, ut, praeter collegas doctissimos, ornatissimos, et iuvenes studiis in hac alma litterarum sede vacantes dilectissimos, vir perillustris, cui illius cura extra ordinem commissa est, proceres civitatis huius, excellentissimi gravissimi, fautores litterarum adesse, eamque sua praesentia honorare, condecorare velint, ea, qua par est, observantia invito, rogo. Vratislaviae Cal. Octobr. 1836.
